



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.LXIV. Sancti Patris Benedicti. M.LXXXIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

transigeret. Unde & frequens illi in ore: *Cibi somnive memoriam in mente bene in DEUM elevatā, tardius occurrere.* Obijt Vir meritissimus, ipso solemnifesto S. Laurentij Archi-Martyris, cum paulo ante à Patribus, ad mortem fortiter suscipiendam admonitus: *Ego, respondisset, Patres mei, licet non meis meritis, fide non dubiā, speque firmissimā, atque misericordiā fretus Altissimi; mortem quasi Virgo sponsum expecto.* Scripsit, ut erat doctissimus ad utilitatem posterorum non pauca; quæ incendio, etiam posteris deplorando, in favillas majorem partem abiere; *quam, ait Lucas Ruhenfis, incendij jacturam, qui abrirent, sine lachrymis recordari, aut referre nequeunt, magnum scilicet lucubrationes illas Ecclesie DEI lumen allaturas fuisse, & Heresum modernarum tenebras deleturas affirmantes.* Ex Hist. Camald. Montis Virg. Luca Ruhenfi &c.

IESU CHRISTI ANNU S. M. D. XLIV.
Sancti Patris Benedicti. M. LXXXIV.

IN Galliarum Regnis, inter altissimas & terribissimas tribulationum nebulas, virilis maximè se animus ostentat, Amazonum nostrarum Benedictinarum in diversissimototo Regno provincijs & Monasterijs, dum quanto magis, in evertenda Religione Catholica omnem lapidem movent Calviniani, tanto effervescent magis in Christi consecrandis vestigijs & rigore Monastico propagando, fragillimi sexus, sed maximianimi Heroinæ nostræ, insuperabiles ab omnium calamitatum iugruentium & obruentium mole, quanto magis necessarijs subinde omnibus destitutæ, tanto magis, ad rigorem dispositæ, ita ut etiam in omni inopia gratulabundæ, majores ad Virtutem experirentur stimulos, & in carnis fame & siti, frigore & nuditate, abundare doctæ, mira solatia Spiritus perfentiscerent, imò mori pro Christo & Religione exambirent. Memorabile, sub hoc ipsum tempus, exemplum serenissimæ Renatæ nostræ, Lotharingæ Principis Abbatisæ S. Petri Remensis: Cum enim, per tantam temporum calamitatem, & fames simul ingruerent & pestis, Virago hæc Princeps, egenis & omni penitus ope destitutis altera non solum Thabita exitit, & proprijs multoties manibus,

necessaria abunde ministravit, sed cum pro necessitatibus Monasterij procul abesse cogeretur, & peste quoque infectum suum Monasterium intelligeret, illico relictis omnibus alijs negotijs, de suis sollicita, nequid ejisdem deesset, & vel maximè ut ipsa per semetipsam charissimis filiabus, contempto omni periculo, inferviret, & animo preparato mortì occurrere hortaretur, sanctisque monitis & documentis eisdem & instrueret & solaretur, ad Monasterium contendit, quidquid serenissima ejisdem Mater alijque Cognati & Amici obtenderent, & deprecarentur optans cum suis & pro suis vitam profundere, quam ejus Generositatem & in suas pietatem nulla satis, in tanti maximè generis Principe, posteritas deprædicaverit, & fuerit admiratura. Ex monim. S. Petri, Amando Tribut, &c.

In Hispanijs floret celeberrimus ille Historicus noster Frater Gonsalvus de Jlescas, Monachus & Abbas in S. Fromes, Author Historiæ Pontificiæ & Catholicæ, quæ sæpius jam excusa, æternâ Gonsalvi gloriâ circumfertur & legitur. Ex Jesejo & rer. Hisp. Script.

Nec minore nominis fama celebratur hoc ipso tempore Frater Hieronymus Laureus Cataianus, Montis Serrati Monachus, Vir Religiosissimus & ingeniosissimus, inter Scriptores sui sæculi Princeps, ob admirabilem scribendi methodum & Ordinem referendus, qui de futuris sæculis præcipuè meruit duobus lectissimis & maximi momenti voluminibus: *Silvæ Allegoriarum.* Vid. Jdem Jesejus.

Extinguitur hoc ipso anno Ludovicus de Bœsey insigne sacre Familiæ nostræ Cisterciensis lumen. & columnen, ex Abbate Maceriatum ob insignia animi corporisque talenta Generalatus honore sublimatus, multo nomine meritissimus & vel maximè libertate Echelesiastica strenuè vindicata cum contra Commendarum pestilentissimam sacris Ordinibus luen, strenuè ageret, & insigne demum contra eisdem Privilegium à Pio IV. impetraret, quod postea Gregorius XIII. confirmavit. Interfuit, magna cum autoritate Concilio Tridentino, eoque absoluto, cum in itinere versaretur,

Felicissima
ejusdem
mors.

Amazones
Benedicti-
na.

Renata
Ducissa
Lothar.
Abb. S. Pe-
tri.

Gonsalvus
de Jlescas.

Hierony-
mus Lau-
retus.

Ludovicus
de Bœsey
Generalis.

tur, morte preoccupatus, magnum suis sui desiderium reliquit. Moritur eodem anno Illustrissimus ille Carolus noster de Croy, Principis & Ducis Arschottani frater, Tornacensis in inferiori Germania Episcopus, cum majorem partem, jam Pontifex apud suos S. Ghisleni Monachos, apud quos & defunctus & sepultus est, exegisset.

I E S U C H R I S T I A N N I S. M. D. L X V.
Sancti Patris Benedicti. M. LXXXV.

R Edivivus revera Benedictus in suomet Casini Montis Archistario, per omnia spectabilem se exhibet in sanctae memoriae Angelo Sagrino suo de Faggijs à morte Jgnatij Vicani cognomento Meleatij Neapolitani, loco sanctissimo praelati, subrogato, qui Casinates omnes sui similes esse voluit, uti videri nullus vellet. Certè omnis Angeli vita verè Angelica fuit, ita ut nihil non ejus, merito omnes in admirationem raperet, nihil non traheret ad tanti Abbatis imitationem. In templo devotionis miraculum fuit, in Refectorio exemplar sobrietatis, in colloquijs alter Martinus, in cujus lingua nil nisi Christus, nisi pax, nisi misericordia inerat; in cella alter Benedictus, totus Divinis rebus & earum contemplatione absorptus; quibus ut ex parte saltem etiam discipuli fruerentur, multa & pene innumera post se reliquit pietatis & devotionis monimenta. E quibus nonnulla solummodo memoramus & subijcimus:

De ineffabili IESU nomine Carmen Heroicum

In septem IESU Christi Verba novissima, Meditationes septem, eodem carmine.

De misericordia, amore, & bonitate DEI erga peccatorem.

De Spe peccatoris in DEUM.

Speculum peccatoris.

Paræneses sex in Hebdomade sancta.

De contemptu divitiarum & vanitate humanae vitae.

De IESU pietate & amore in peccatorem Elegias 12.

Triumphus Amoris Divini.

De Nativitate Domini omnibusque ejusdem Festivitatibus.

Epicidium in mortem Domini.

De IESU beneficijs in hominem.

De Laudibus Beatae Mariae Virginis. Lib. I. Hymnorum diverso metro de Sanctis diver-

Angelus Sagrini Abbas sit Casini.

Angeli Sagrini Ingenij illustria monimenta.

1a.

sis. Lib. 2.

De Passione Domini Elegia. 12.

Vita Sanctissimi Patris Benedicti carmine Heroico. Lib. I.

In Psalterium Paraphrasis diverso carminis genere. Lib. I.

Aureae Divinaeque sententiae ex Psalmis David, Lib. I.

Vita SS. Benedicti, Mauri, Placidi & Joan. Bapt. carmine Heroico.

Vita alia S. P. Benedicti carmine Saphico, & soluta oratione moralem expositionem continens.

Psalterium gloriose Virginis MARIAE Carmine Saphico.

Vita Sancti Wilhelmi Anachorite versu Saphico.

De Martyrio veri Monachi.

Tractatus quadraginta Horarum Liber impressus Florentiae & Tridenti.

Sermonum & Homiliarum soluta oratione. Liber I.

Multaque alia reliquit manuscripta, Divinae gratiae influxum mirè redolentia. In Anglia, incredibile dictu est, quantà hoc ipso anno constantià Joannes Feckenamus noster, etiam in extremis rerum angustijs, carcere, ac vinculis Fidem Catholicam propugnaverit, perfidiamque Hæreticorum confuderit, & afflixerit. Admirandus sane magnanimitate Heros, nihil Reginam, Regnumque universum ac Parlamentum reveritus, cum audisset juramentum Suprematus Regij fuisse edicto Parlamenti propositum, in ipsis ille vinculis liber, argumentis gravissimis demonstravit juramentum profus illicitum, adeoque invalidum esse & fuisse. Aliquamdiu in adibus Horni Pseudo-Episcopi detentus, sed inciviler & perfidè habitus, in turrim denuo Londinensem retrusus est. Deinde in castro Wisbicensi inclusus ad finem usque vitæ ibidem detentus fuit; quo toto tempore, ait Pitius, à Catholicis Dogmatibus propugnandis, & ab alijs charitatis operibus exercendis, quo ad fieri poterit, nunquam cessavit. Unde colligas, quæ primum solutus præstitisset, qui tanta alacritate & generositate, vincus, pro Ecclesiae libertate laboravit, alter revera sui sæculi Athanasius jure merito celebrandus. Videatur Stapletonus, Sanderus, Pifius, Reinerus, &c.

V. Ioan. Feckenamus in vinculis generosus.

Alter sui sæculi Athanasius

I E S U